

**05  
A  
2286**





IN NOMINE JESU  
DISPUTATIO POLITICA

DE  
**LEGE,**

*Quam*  
Sub PRÆSIDIO  
VIRI

*Plur. Reverendi, Excellentissimi, ut & Clarissimi,*

**DN. MICHAELIS WENDELRI,** SS. Theol. Licent. & Philosophiæ Practicæ Professoris Publici celeberrimi, Præceptoris ac Patroni omni observantia cultu ætatem colendi,

*publico examini submittet*

**ERICUS MAURITII,**  
Itzehoâ Holfatus  
A. & R.

*ad d. XXX. Martij horis matut.*

In Auditorio majori.



WITTEBERGÆ,  
TRPIS JOHANNIS HAKEN, M DC L.

22.

IN NOMINE IESU  
DISPUTATIO POLIFICA

DE

05125273

HAL



05 A 2286

1755



# I. N. J.



On malè Romanæ Eloquentiæ  
Parens Cicero pro A. Cluentio. Ut  
corpora, inquit, nostra sine mente ;  
sic civitas sine legibus, suis partibus  
& nervis, sanguine, & membris uti  
non potest. Sunt etenim leges  
propterea latæ, ne Respublica  
quid detrimenti capiat. Hinc  
ea, quæ ad Imperij tūm dignita-  
tem , tūm utilitatem spectant , iis comprehendere so-  
lenne esse debet Rerumpublicarum administratoribus.  
Ex ergò ubi vel omnino desunt, vel minus servantur , non  
id fit, quod esse queat è Reipublicæ emolumento. Sed  
primò quidem Reipublicæ utilitas susq; deq; habetur, de-  
mum quoq; damnum, quod avertere leges student, accersi-  
tur. Et hinc paulatim ipsa Respublica in ruinam spectat.  
Præcipua ergò Politico & Civilis doctrinæ studioso esse de-  
bet legum cura. His enim in gyrum rationis reducuntur,  
quos effera animi rabies ad vitiorum turpitudinem avo-  
cat: his assuēti virtutibus animi ad capessendum porrò hoc  
studium incitantur. Quocirca & mihi nunc sententia se-  
det, paucis, quantum per ingenii tenuitatem licebit, ma-  
teriam hanc delibare.

I. Ne verò in principio statim impingamus, à Defi-  
nitione auspicati, quid potissimum nobis hoc in loco legis  
nomine veniat, evolvemus. Definimus legem, statutum,

*cui aliquis obedire tenetur.* Derivationem ejus, an à ligando, legendo, vel eligendo deducatur, Grammaticis relinquimus.

2. Hujus variæ divisiones habentur. Aut enim sunt *divinae* aut *humanae*. *Divinae*, quarum à D E o autore, *humanae*, quarum ab hominibus origo est. Dividuntur præterea in eas, quæ omnibus hominibus communes, & quæ genti vel Reipublicæ alicui propriæ sunt, quas Civiles etiam vocant. Et hæ ipsæ quidem duplii iterum ratione dicuntur. Primò enim vocabuli hujus usus est, ut omnes leges, quibus civitas aliqua regitur, atq; adeo naturales etiam includat; & has latè dictas civiles leges appellamus. Dehinc aliquando pro ijs legibus usurpatur, quæ naturalia præcepta omnino admixta non habent, quas strictè dictas civiles leges vocamus. Hæ igitur diversæ legum species quemadmodum reipsa, ita etiam origine discrepant.

3. Et de ijs quidem, quæ omnibus communes sunt, quas sua etiam sponte nullo docente omnes, quibus integer est rationis usus, cognoscunt, nemini dubium esse potest, quin cum ipsis hominibus ceperint. Ita enim comparatae sunt, ut sine illis hominum vita & societas certo tali consistere haud quaquam possit. De civilibus vero legibus, ad quos autores earum referenda sit origo, toto cælo discrepantes veterum sententias numerare licet. Fuere enim, qui originem earum Cereri acceptam ferrent. Unde ita Ovidius lib. 15. Metamorph.

*Prima dedit leges, Cereris sunt omnia munus.*

In eandem quoq; sententiam Diodorus Siculus lib. 6. hæc habet: *Præter repertum ab ea frumentum leges dedit, quibus iuste pieq; homines virere assuescerent.* Ex quo & legiferam dixerunt. Ita quippe IV. Æneidas Virgilius:

*mactant*

*magistrant de more bidentes  
Legiferæ Cereri.*

Alijs tamen primus Rhadamanthus fuisse videtur, qui ad legum civilium normam actiones dirigere homines voluit. Vide Polydorum Vergilium de rerum Invent. lib. 2. cap. 1. p. 99. Alij in alias concessere sententias.

4. Quam parùm tamen hæc à veteribus literis prodita cum veritate consentiant, libet ostendere verbis ejusdem, cuius supra mentionem fecimus Polydori Vergili, Viridochiissimi. Ita verò ille lib. 2. cap. 1. p. 101. Deus ipse auctore Josepho, leges, quas deinde hominibus constitutas volebat, primò Mosi tradidit, qui deinde primus legislatorum omnium quos commemoravimus (quippe quibus teste Eusebio longe & tate superior fuit) eas Hebreis dedit. Testis idem Josephus contra Appionem. Dico igitur nostrum legislatorem, quemlibet, qui memorantur, legislatorum antiquitate precedere. Lycurgus enim & Solon & Zaleucus Locrenus & omnes, qui apud Graecos mirabiles sunt, novelli atq; recentes, quantum ad ipsum comparati, esse noscuntur, quando nec ipsum nomen legis apud Graecos olim fuisse agnoscitur. Testis Homerus est, qui nusquam in opere suo hoc usus est nomine. Et paulo inferius addit. Nam cum sit tempus infinitum, si quis eum comparet aliorum legislatorum & tibus, hunc ultra omnes inveniet. Eusebius quoq; in 10. de Præpar. Evang. Mosen multò ante Cererem, quæ fertur prima ut diximus leges edidisse, fuisse testatur. Hactenus ille. Nec tamen ipse etiam rem acutangere videtur, ubi Mosen primum harum legum autorem facit, earumq; originem ad ejus tempora refert. Eam enim (inquit) mortalium omnium primus Moses Hebreis constituit, quæ ceteris deinceps hominibus condendarum legum haud dubiè exemplar fuit. Ac talis juris atq; legum origo. Non enim ignoramus, exstissem multis seculis antelatas has ipsas leges Imperia, ad horum verò

administrationem suffecisse leges, quas vocant naturales, ultra fidem est. Mores enim populorum diversi diversas quoq; leges exigunt; hæverò ipsæ sunt, quæ civiles appellantur; atq; adeò jam ante Mosen **civilium** legum origo fuit.

5. Inter eos tamen legislatores, quorum fama Historicorum scriptis celebratur, primum esse Mosen facile largior. Factum illud tūm temporis injuriā, tūm, quòd earum legum, quæ ante ipsius ætatem in usu fuerunt, ea esset conditio, ut cum autoribus suis plerumq; interirent, vel hercule ætatem non ferrent: Primus verò Moses ejusmodi legibus suggestente summo Numine Hebræos astrinxerit, quæ & optimæ essent, & longissimo temporis intervallo ad posteros transmitterentur. In eandem sententiam *Excel lentissimus Dominus Præses* inter originem legum earundemq; perfectionem distinguit. *Vid. Philosoph. Pract. lib. 2. sect. 2. cap. 5. quest. 1. p. 731.* Non defuerunt ergò etiam ante Mosis tempora hominibus leges civiles, defuerunt verò adeo omnibus partibus absolutæ, & quibus vix quicquam ad summam perfectionem deesset.

6. Fuit ita legum ac præcipue civilium origo, nunc ad celebriores ejus distinctiones. Constat autem hæc lex aut scripto aut sine scripto. Scripta lex, quæ scripto comprehenditur, sive quæ scripto præcipit, quid sit agendum. Non scripta est, quæ viva voce præscribit quid sit agendum, sive quæ literis non est consignata. Scriptis uti familiare fermè omnibus gentibus fuit; non scriptis usi fuere Lacedæmonij & Æthiopes. Romani utramq; rationem amplexi videntur, & tam scriptis quam non scriptis legibus Reipublicæ suæ commodis consuluisse, secuti partim Exempla Athenarum, partim & Lacedæmoniorum, à quarum Civitatum institutis origo Romani juris fluxisse videatur §. 10. *Instit. de jure Nat. Gent. & Civil.*

7. Sunt

7. Sunt quidem, qui h̄ic in contrōversiam vocant  
hanc legis civilis divisionem. Neq; enim esse putant le-  
gem hujusmodi, nisi quæ scriptis comprehendatur. Con-  
trarium nobis probatur ex definitione legis civilis : Lex  
Civilis est iussum à suprēma potestate promulgatum. Non  
verò ullius scriptionis in hac definitione fit mentio. Quæ  
si ad legis essentiam pertineret, sicco pede prætereunda mi-  
nime esset. Deniq; si sine scriptione nulla lex esse potest,  
nullæ jam fuerunt leges Lacedæmoniorum, & cultissima  
Respublica eo munimento caruit, quo sine consistere nul-  
la potest. Nec est, quòd objicant, fas esse, ut innotescant  
leges, ne ignorantia peccandi licentiam excusat, atq; adeò  
literis illas esse mandandas. Fieri enim illud etiam alia  
ratione potest, quemadmodum exemplum Lacedæmoni-  
orum & testis quotidiana experientia docet.

8. Interim nec illud quidein diffitemur, ex usu es-  
se Reipublicæ, ut literæ custodiant legum præcepta. Fit  
enim hac ratione, ut peccandi libido non facile occupet  
subditorum animos ; assidue quippe ob oculos versatur  
lex, & quæ huic plerumq; additur pæna peccandi licentiam  
cohabet. Ad posteros præterea ita feliciùs transeunt opti-  
mæ constitutiones, nec facilè in usu esse desinunt, ubi cu-  
stodes literæ earum memoriam omnibus suggerunt. Hinc  
Romanis more receptum erat, in æs incidere leges, ut abo-  
lere eas nulla posset temporis vetustas. *Vid. Liv. l.3. Paulum Manutium de legibus Romanis p.336.*

9. Est præterea lex vel *Fundamentalis*, vel non *Fun-  
damentalis*. Fundamentalis, quæ inde nomen traxit, quòd  
sit publicæ salutis quoddam quasi fundamentum, modum  
imperantibus præscribit. Non fundamentalis subditis a-  
genda præscribit. Hæc ad subditos pertinet, illa ad impe-  
rantes. Ubi in Imperiis nonnulli in legum hujusmodi  
verba

verba jurant, vel alia ratione fidem dant, fore ut ne latum quidem unguem ab ijs discedant. Nullus tamen legum harum usus est in Imperio Monarchico. Ab unius enim nutu pendent ibi omnia, qui reliquis præest. A nullo ergo leges ille accipit. Qui enim leges accipit, illis etiam invitatus tenetur. Non ergo ab ipsius nutu omnia pendent; quod tamen in Monarchia non scriptores solum omnes, sed res ipsa etiam requirit.

10. Non malè proinde Bodinus cùm in libris de Republica lib. 2. cap. 6. tūm in Methodo Historiarum cap. 6. pag. mihi 187. omnino negat, eum esse imperij nostri Romano Germanici statum, quem Monarchicum Politici vocant; Inductus præcipue isthoc argumento, quod nemo Imperio præficiatur, nisi legibus, quibus Fundamentalium nomen fecere, se adstrinxerit, fidemq; dederit, fore, ut nihil eorum, quæ priscis legibus ad tuendam Imperij dignitatem introducta animadverterit, sine Electorum consensu immutet. Sunt autem leges Fundamentales Imperij Romani, Aurea Caroli IV. Bulla, Constitutio Pacis Religiosæ & Profanæ, nec pauci præterea recessus. Clariss. Reinking lib. 2. class. 2. cap. 6. n. 4. Liebenthæl Disþ. 7. thes. Præcipua harum legum capita vide sis apud eundem Liebenthæl loco superiori th. 9.

11. Distinguuntur insuper leges in Universales & Particulares. Et universales quidem dicuntur, quæ in universa Republica valent; Particulares, quæ in aliqua saltem Reipublicæ parte. Justas & Injustas. Justæ sunt, quæ cum ratione consentiunt, sive quæ ea ratione nituntur, quæ pietate & prudentiâ illustribus viris probatur. Injustæ, quibus hæc requisita desunt. A ratione verò dissentiant leges, quæ à naturalibus legibus, vel æquitate, alienæ sunt.

12. Progredimur ad eos, qui legum ferendarum potestate gaudent. Feruntur ergo illæ ab iis, penes quos est sum-

summum imperium, dantur verò subditis. Omnes quippe homines aliorum respectu vel sunt Imperantes, vel Parentes, vel deniq; Pares. Par verò pari legem ferre non potest. Æqualis namq; eorum potestas nullius imperium, nulliq; obsequium admittit; nec parentes quidem Imperantibus. Cui enim leges dantur, is illis etiam invitus obtemperare cogitur. Et ita Imperantes à Parentibus sive subditis cogerentur; quod absurdum esse etiam illi intelligunt, qui nondum ære lavantur. Relinquitur ergò, dari eas subditis, ferri verò ab ijs, à quorum arbitrio rei summa pendet.

13. Consequens hinc illud est, in eo Imperio, ubi legum ferendarum absoluta potestas penes unum est, Monarchiam, ubi penes plures, sed pauciores tamen, Aristocratiā, ubi penes populum, vel majorem ejus partem, Democratiam vigere potissimum. Quanquam enim regni alicujus statūm non à legum solummodo ferendarum potestate, sed belli etiam indicendi, finiendi, fædera pangendi, magistratus inferiores creandi &c. jure metiri videantur emunctæ naris Politici, (de quibus requisitis legere est Bodinum accurate & doctissimè differentem, cum pafūm in suis de Republica libris, tum in *Methodo Historiarum* p. mibi 157.) Hæc omnia tamen ab absoluta legum ferendarum potestate dependent, & ab eâ divelli nullo modo possunt. A qua sententia nec alienus est ipse Bodinus lib. de Republ. primo cap. X. ubi in hac verba differit: *Hac jubenda ac tollenda legis summâ potestate, cetera majestatis capita venire perspicuum est, ut verissimè dici possit, summum Reipublicæ Imperium unare comprehensum, scilicet universis ac singulis civibus leges dare, à civibus accipere nunquam: nam bellum hostibus suo jure indicere, aut pacē cum iisdē inire, tametsi diversum quid habere videntur à legis appellatione, hac tamen legē, id est summe majestatis jussu fieri constat.*

B

14. Quem-

14. Quemadmodum tamen magna enitendum est  
cura, ne in consideratione regni vel Republicæ, eos, qui  
consilijs Rempublicam juvant, statim rerum summa de-  
funghi & Majestatis juribus gaudere putemus; Ita etiam  
probè ab ijs, qui leges ferunt, discernendi sunt, qui earum  
ferundarum autores sunt, vel qui aliquid deferunt, quod  
deinceps mandato Principis accipiat legum autoritatem.  
Juris Consultis enim & Politicis plerumq; hæc provincia  
comissa est, potestas verò ferendi leges ad eos duntaxat  
pertinet, ad quos rerum summa. Ferre ergò leges dicitur,  
qui jubet, ut rata sint & valeant deinceps, quæ antea non  
valuere. Impropiè tamen ferre leges nonninquam di-  
cuntur, qui legum sunt autores. Quemadmodum de  
Solone, quod Atheniensibus leges dederit, memorie prodi-  
tur, quæ tamen nullæ fuissent, nisi ratas eas habuisset Athe-  
niensium populus. Majestatis enim jura non fuisse penes  
Solonem, inde sole meridiano clarus elucescit, quod le-  
gem eam, quâ cautum erat, ut capitali is afficeretur pænâ,  
qui arma populi Atheniensis contra Megarenses concitare  
animum induxisset, abrogare non potuit. Vide *Iust. lib. 2.*

15. In Imperio nostro Germanico leges condendi  
potestas ex communi Politicorum sententia ad Imperato-  
rem, Electores, & status reliquos simul pertinet. Vid. Lie-  
thael Exercit. XII. th. 23. Unde ista in Recessibus Imperij  
formula: Mit der Stände ermessen vnd bewilligung X XI  
zu Augspurgk de anno 1559. §. Damit dann hinsüro im  
Reich. Vide præterea in hanc sententiam ordinationem &  
Constitutionem super vino de Anno 1497. in princ. Or-  
dinat. Cameræ de Anno 1555. in proæmio. Constitutio-  
nem von gemeinen Pfennig de Anno 1495. in princ. Et  
hinc leges has rectius Imperiales, quam Imperatorias voca-  
veris Reichs Abschiede. Ab ipso etiā Imperatore hoc nomen  
sortiu-

fortiuntur Viser vnd gemeiner Stande Abschiede X A.  
de Anno 1564. §. haben sie. In Polonia hanc potestatem  
ad proceres regni detulit consuetudo. In Venetorum Re-  
publica sub nascentis ejus Imperij primordiis, ad ducis Se-  
bastiani Chiani tempora, qui circa Annum mundi M. C.  
LXXV. in vivis fuit, Ducis mandatum legis vires assume-  
bat. Nihil enim illi ad Monarchicam potestatem deerat,  
quemadmodum hoc ipsum contra Contarenum & Pau-  
lum Manutium, Janotus sive Gianatus Donatus evincit.  
Vide Bodini Meth. Histor. cap. 6. p. mihi 294. librum de Repu-  
blica 2. cap. 1. p. 282. Demum tamen ad Proceres cum Im-  
perio transiit. Quam rationem leges ferendi apud illos  
nondum delevit dies. Vid. Johan. Cotov. Synopsin Reipubl.  
Venet. c. 7.

16. Operæ pretium hīc præterea est, exquirere, an  
ille, qui rerum summæ præst, legibus, à se aut majoribus la-  
tis solutus sit, sive an impune ferat, si ex earum præscripto  
non vivat? Et affirmativam sententiam nos *cum Bodino l. 1.*  
*cap. 8. p. 151.* Liebenthal Exercit. *Politica* 8. quæst. 1. Class. 1.  
*cap. 5. §. 56.* ut & omnibus ferè Politices scriptoribus de-  
fendere res ipsa cogit. Aut enim suo arbitrio vivit; aut  
alterius imperio ad servandas leges illas adigitur. Nemo  
verò illi aliquid pro imperio dare potest, qui in Imperio  
summus est. Eset enim ita summo etiam superior; quod  
absurdum. Nec tamen hoc ad alias leges, quam civiles ex-  
tendi fas est. Hinc est, quod divina ac naturalia præcepta u-  
no penè ore omnes eximunt. Horum enim ratione prin-  
cipes etiam superiorem habent D E U M, nec ab eorum cul-  
tu & observatione ullum hominem vel dignitas vel pote-  
stas jure eximet. Neque alia Ulpiani JCti est sententia, *l.*  
*Princeps ff. De legibus Senatus Consultis & longa consuet.* ubi  
ille Princeps, inquit, legibus solutus est. De omnibus ve-

rō ei ibidem sermonem esse nemini facile persuasum esse poterit, qui illud quidem animadverterit, per totum illum titulum legis solummodo civilis fieri mentionem, cuius etiam antea definitionem l. i. ejusd. tituli exhibuit.

17. Nimis quidem hic Principum libidini habenas concedere videntur *Decius & Antonius Butrio*, suis in quasdam partes *Corporis Canonici Commentarijs*, qui referente Bodino lib. i. cap. 8. p. 153. illud quidem inficias non eunt, Principem nihil contra divinas leges nihil contra naturae statuere posse, hanc tamen exceptionem mox subjugunt, nisi ratione probabili ad id faciendum adducatur. Lippis enim ac tonsoribus notum est, nullam probabilem rationem esse, quæ à divinis præceptis & legibus avocare possit hominum animos. Lubet hic accersere Viri Clariss. Johannis Bodini verba, qui abominandam horum Politorum impietatem his verbis damnat lib. i. cap. 8. p. 160. Capitalior hercle fraus est hac disciplinâ Principes imbuere, quam prædari: nam prædones inopia fere ad aliena capienda cogit; principem autem sic imbutum præclaram juris ac justitiae speciem sceleribus suis obtendere necesse est; quod si pessime est à natura pejus etiam à doctrina institutus, in Tyrannum evadet, & impudenter divina, humana, perfringere non dubitabit.

18. Et hi quidem, dum omnibus fermè legibus Principem solvere nituntur, modum excedunt. Alij vero nimis angustis terminis potestatem ejus circumscribunt, dum eum juxta cum subditis civilibus legibus ijsq; strictè dictis teneri autumant. Ita enim argumentari animalium inducunt: si naturae legibus, id est rectæ rationi, Principes omnes obligantur, lex autem civilis rationi cōsentanea esse debet, illud quoq; consequi, Principem legibus Civilibus obligari. Error hic inde originem traxisse videtur nobis, quod discrimin inter leges civiles latè &

& stri-



& strictè sumtas ignorarent. Consentire cum recta ratione dicitur lex Civilis, quæ vel tota vel cuius pars idem est cum lege naturali. Hoc ipsum legi Civili latè sumptæ competit, non item de strictè dicta asserendum est, quemadmodum ex thesi 2. apparet. Sin verò idem hanc loquendi formulam esse velint cum hac, non dissentire à lege naturali; non id quidem de præceptis civilibus strictè dictis negamus, illud verò haud videmus, quomodo animum inducere possint, Principem omnibus ijs præceptis quæ non dissentunt à lege naturali, obstrictum esse cum illis nullus homo teneatur.

19. Tendimus hinc ad legum Interpretationem. Cùm enim sæpiissimè fiat, ut ambigua legum vocabula & grata brevitas sensum ipsarum tenebris involvant, Interpretore hercle opus est, qui pellat has nebulas. Exempli esse possunt latæ ante Justinianum Romanæ leges, quarum nonnullæ adeò ambiguitatis tricis involutæ fuere, ut diversis sectis, Proculianis & Pegasianis originem darent; de quibus vid. Herm. Vultej. in Proleg. de studio juris, præfixis ejus Tractatuide Jurisp. Rom. pag. mibi 19. ita ut tandem interpretandi necessitatem Imperatori Justiniano afferrent. Ad quem ergò hæc provincia pertineat dispiciamus. Et æquitas ipsa quidem, istiusmodi hominem postulare videtur, qui id quidem, quid lex sibi velit, non ignoret, & præterea ita comparatus sit, ut nullius amore, nullius odio ductus, id quod sentit, liberè enunciet. Quorum utrumque cùm in eo, qui legum fereñdarum potestatem habet, non desideretur, nulla amplius ratione ambigendum videtur, quin ad eum optimo jure pertineat l. 11. ff. de Leg. & S. C. Bodinus de Republica l. 6. cap. 6. p. 1181. Reinking de Regimine Seculari & Eccles. lib. 2. Classe 2. Cap. XI. §. 5. Liebenthaler Exercit. Polit. XII. tb. 54. Schönborn lib. 3. Polit. cap. 8. Cùm e-

nim' unus quisq; verborum suorum sit optimus interpres, Principis verò mandatum atq; adeò verba etiam sint leges, non facilè aliùs melius eas interpretabitur.

20. Nihil huic sententiæ derogat, quòd leges sæpiissimè ab ipso Principe, qui eas interpretatur, latæ non sint, atq; adeò ejus verba dici nequeant, cùm à majoribus ipsius fortasse originem traxerint, qui vitali aura frui jam pridem desierint. Et hinc ratio illa , propter quam præcipuè æquum esse asseruimus, interpretationem legum pertinere ad Principem, parum firmo talo consistat. Leges enim desinunt esse eorum iussa , qui vita excedunt, cùm ipsi magistratu fungi desinant. Incipiunt verò illius mandata atq; adeo etiam verba esse , qui rerum summæ præficitur. Nec Principi quidem adimit hanc potestatem *l. 37. ff. de leg. S. C.* ubi consuetudinem esse optimam legū interpretem memoriæ proditur. Admonetur enim illa lege duntaxat Principes, ne in aliam sententiam interpretetur legem, quām eam, quæ vulgo usū recepta sit. Contrarium enim facere, non est interpretari, sed abrogare legem : quod periculo haud vacare compertum est.

21. Nunc ad eos porrò, quorum consiliis illi , qui legis ferendæ potestatem habent, uti consueverunt. Cùm enim magni momenti res sit, perspicere, quid ex Reipublicæ alicujus usu sit vel detimento, illi plerumq; penes quos sunt Majestatis jura , Viris literarum studio excultis hanc provinciam dant, ut præcepta nonnulla colligant, quibus, ubi deinceps legum autoritas accesserit, populus obedientiam præstet. Hi candidè rem agant, an minus, plurimum interest. Imò in eo interdum totius Reipublicæ salus vertitur. Hinc ejusmodi homines diligendos censent Politici , quibus id detur negotij , qui pietate & morum integritate emineant *Liebenthæl Exercit. XII. th. 26. Schon-*  
*borne-*

bornerus Polit. lib. 3. cap. II. Nec illud quidem frustra. Pi-  
us enim est, qui divinis præceptis, quantum per humani  
generis imbecillitatem licet, obedientiam præstat. Inter  
divina verò præcepta haud postremum est, ut in proximū  
simus æqui. Æquitatem verò hanc qui colet, nā ille feret  
leges haud iniquas; quod inter præcipuas legis virtutibus  
haud postremo loco reponendum existimamus.

22. Succedit illud, ut ne à legibus, quas ipse tule-  
rit, vita ipsius discedat. Vix enim est, ut animum indu-  
cere possint subditi, eum optimas tulisse leges, qui ipse ni-  
hil antiquius habet, quam ut ne ex earum præscripto vi-  
vat. Nec enim leges ejus ad conservandam Rempublicam  
pertinere videbuntur, cuius vita ad eam destruendam cō-  
parata est. Parum præterea sibi constantis animi certissi-  
mum signum est, si aliquis contra eam legem, cuius anteà  
autor fuerat, admittere animum inducat. Facto enim i-  
pso improbat, quod probandum esse anteà populo per-  
suaserat. Hinc plerumq; antiqui eā pænā, quam aliis dixe-  
rat, in ipsum animadverterunt. Damnatus est ita non si-  
ne dedecore *Licinius Stolo*, primus ex plebe Consul, qui  
cum lege sancivisset, ne cui plebejo plus centum jugera a-  
gri habere, liceret ipse verò deinceps centū & quinquagin-  
ta haberet, in judiciū vocatus & primus omniū sua lege pu-  
nitus est. *Plinius Secundus Novocamensis libro de Viris Illus-  
tribus.*

23. Et his' quidem meritò accensendam putamus  
prudentiam. Leges enim non cædem omnibus Rebus  
publicis, nec omnibus hominibus convenient, *Arist. Po-  
lit. cap. I.* Unusquisq; locus suum habet genium ; discerne-  
re ergò quid aptum sit huic vel illi populo, non cujusvis est  
ingenij. Ita diversæ leges erant, quibus Athenienses & La-  
damonij, licet vicinæ gentes, regabantur, optimæ tamen,  
& quæ

& quæ utriq; populo convenirent. Factum hoc sine dubio fuit, quod neuter Legislatorum quicquam desideraret ad solidam prudentiam, & hinc facillimè ambo animadverterent, quid ferrent subditorum mores. Prudentiâ præterea opus est, ne istiusmodi aliquid, quod ad conservandam Reipublicæ salutem symbolum conferre possit, sicco pede prætereatur, sed ut quantum quidem fieri poterit, omnia ea, quæ ad accersendum Reipublicæ commodum, vel avertendum damnum pertinere videbuntur, legibus tūm jubeantur, tūm prohibeantur. Non verò ex mentis acie sunt omnes etiam literati homines, quæ sufficiere ad consequendum hunc effectum possit. *Albertus Bolognetus Bononiensis Jctus suo de lege, aequitate, & jure Tra-  
ctatu cap. 29. n. 14.*

24. Hactenus de iis, ad quos ferendæ & interprerandæ legis potestas & cura spectat. Nunc quare potissimum ferantur, explicare animus est. Videri enim fortasse posset, nullum earum usum esse, cùm natura ipsa efficerit, ut sciamus, quid honestum sit, quid cum honestate minus conveniat, & hinc naturæ leges satis sint ad Politicam societatem conservandam. Nec esset quidem, quod male cum hominibus ageretur, si nunquam vel latum unguem discederent à legibus naturæ & dictamine rectæ rationis. Nunc verò cùm hoc minus fiat, postulat civiles leges hominum improbitas. Paucis enim virtutum cultus placet, plures ad voluptates & quæ his junguntur vitia, rapit perditæ naturæ ratio. Cum verò hæc ipsa & contra leges naturales fiant, & ad destruendam Reipublicæ incolumentatem pertineant, prudenti consilio introductæ fuerunt leges civiles, quæ præceptorum naturalium violatotes pœnâ coiceret, & præmiis quidem invitando virtutum sectatores, pœnarū atrocitate verò à vitiis avocando humanas mentes Reipublicæ

blicæ consulerent. Ita *Excellentissimus Dominus Praeses lib.*  
*2. sect. 2. cap. 5. p. 730.* Ultrâq; inquit manu largimur à lege  
naturæ ad virtutē nos invitari. Verùm cùm obstent partim  
voluptates, partim malorū sodalitia, virtus sine legibus vel  
rarò vel difficulter acquiri potest. Ultrumq; egò impedimentū  
legibus Politicis earumq; terrore amovendum est.

25. Patet hinc simul, leges civiles pro gentium di-  
versitate & ipsas diversas esse oportere. Vitiis enim pro-  
hibendis præcipue inserviunt leges. Fit verò sæpiissimè, ut  
ea, quæ ab una aliqua gente inter vitia recensentur, alteri  
populo nihil cum vitiis vel turpitudine commune habere  
videantur. Indè ergo est, ut ea, quibus alibi gravissimam  
leges dictitant pænam, alicubi legibus permittantur. Adul-  
terij apud alias plerasq; gentes gravissima, eidem sceleri a-  
pud Massagetas nulla est pœna. Apud Persas non tantum  
legibus permisum, sed honestum etiam fuit cum cognatis  
rem habere. Apud Carthaginenses proprios natos expone-  
re, eosdemq; horrendo exemplo mactare, ne in vetitis qui-  
dem numerabatur. *Albertus Bolognetus cap. IX. §. 10. p. 195.*  
Quæ tamen omnia meritò damnantur aliarum regionum  
& urbium Institutis. Hinc sequitur diversum aliquid a-  
pud diversas gentes legibus prohiberi, & propterea ipsas e-  
tiam esse diversas.

26. Ea tamen Respublica demum optimis legibus  
instructa, & benè constituta est, ubi omnia vitia vel saltem  
ea, quæ oculis exposita sunt, jamq; in publicum prodire in-  
cipiunt, prohibentur. Virtutes verò omnes, si non expres-  
se, implicitè tamen, sive ita ut per bonam consequentiam  
facilè indè deduci possint, probantur. Undè Aristoteli ob-  
edientia erga has ipsas leges justitia universalis dicitur,  
quæ omnes quodammodo virtutes suo amplexu foveat.  
Quantum verò ex Reipublicæ usu sit, optimis legibus vitia

C è con-

ē confinio ipsius exterminari, manifestum fiet, ubi paululum digressi illud primoribus saltem labijs degustaverimus quantum detrimenti quædam solummodo vitia afferant, reliquis non leviore incommodo Rempublicam affligentibus.

27. Inter vitia primum facile locum occupat injuria. Hæc ergò imprimis sedulò profliganda legibus. Nunquam enim ad frugem Emerget Respublica, ubi non succisæ hujus radices. Hinc in prima statim herba necandum hoc malum. Peccat ea aut circa Commutativam aut circa Distributivam justitiae partem. Circa Commutativam si peccetur, alter quidem defraudabit alterum, alter verò defraudabitur. Urit verò homines præcipue fraus, cui malo nisi leges medelam inveniant, nemo facile in seipsum tam iniquuserit, quin ab hac hominum injustorum societate discedat, & meliori potius Reipublicæ nomine det. Minuetur ergò quotidiè civum numerus, minuetur Reipublicæ autoritas. Quo ipso nullum certius Reipublicæ detrimentum esse potest. Sin verò fiat, ut circa Distributivam justitiam modus excedatur, præmia indignis conferentur, hoc est iis, qui vel à virtutum cultu alieni fuere, vel nulla ratione Rempublicam adjuverunt, dignioribus interim prætermisis. Atq; ita nemo bonus de publica salute cogitabit, cùm ij solum præmiis afficiantur, qui poena affici meruissent. Nec minus etiam periculi est, si pænarum infligendarum nulla habeatur ratio; impune enim ferent omnia pessimi homines, qui cum bonos lædant, magistratu interim in eorum nequitiam non animadvertente, Rempublicam itidem civibus privabunt.

28. Multum etiam incommodi ex iis vitiis, quibus circa fortitudinem precatur, audaciâ nimirum & timiditate in Rempublicam redundat. Utrumq; vitium maximis peri-

periculis sāpē involvit publicam salutem. Testes sunt  
quotquot fermē exstant Historici. Undē cūm à Gallis in  
discrimen adducta esset res Romanorum , Manlius edictō  
cavit, ne quis injussus adversus hostem pugnaret, ne suorū  
audacia hosti victoriā relinqueret. Timiditas verò o-  
mnibus fermē gentibus exosa fuit. Hanc cum plerisq; a-  
liis gentibus infamiā plectebant Græci. Intemperantia  
quoque, quam proximo post hæc vitia loco recensent Ethici,  
vel prorsus ē medio tollit civem sibi addictum, vel iner-  
tia eum & turpi otio corruptit, atq; adeo Reipublicæ in-  
utilem efficit. Ærario præterea publico ejusmodi homo  
facultates suas consumendo nocet.

29. Et tantum quidem damni à paucis vitiis in Re-  
publicam diffliuit. Plura etiam incommoda à reliquis vi-  
tiis ortum trahunt. Cūm verò Principis sit, ea, quæ ad Rei-  
publicæ detrimentum pertinent, in herba, quod dicitur,  
supprimere ; idq; alia ratione nisi per leges fieri nequeat,  
patet hinc tūm illud, leges maxime esse ex usu Reipublicæ,  
simulq; illud manifestum redditur, quid potissimum legi-  
bus materiam ministret, & circa quid eæ maximè versen-  
tur, circa propagandum videlicet virtutis studium, & pro-  
hibenda vicia. Interdum tamen etiam Reipublicæ usus  
exigit, ut legibus id caveatur, quod nihil quidem cum vir-  
tutibus ac vitiis habet commune, ad Reipublicæ tamen  
tranquillitatem & augendam publicam imperij dignita-  
tem pertinet. Ethujus quidem generis statuta multa apud  
diversos populus reperire est, qualia sunt de Tributis, Ju-  
risdictione, Vectigalibus & hujus farinæ aliis.

30. Ubi verò vicia legibus civilibus prohibentur,  
in horum numerum solummodo actus exteriores veniunt.  
Tacitis enim cogitationibus nulla pæna ponitur. Neq; il-

Iud sine ratione. Nullæ enim sunt leges, nisi pœna coer-  
ceatur eorum petulantia, qui contra eas admittunt. Ut  
verò judex animadvertis in legis violatorem, illud hercùs  
in confessu est, constare prius de veritate admissi criminis  
oportere. Nulla verò ratione indagari possunt hominum  
cogitationes. Impunè ergò contra leges has ipsas aliquis  
peccaret; atq; adeò nullus earum usus, nulla autoritas es-  
set. Alia verò in divinis legibus ratio est. Nec enim hu-  
manæ cogitationes fugiunt divinum Numen. Eæ ergò iis  
meritò coercentur, & adeò justa etiam pœna excipit impi-  
etatem hominis contra hanc legem admittentis.

31. Et hæc est legum materia. Reliquum est ut le-  
gum sententia verbis, quantum fieri poterit, paucissimis  
includatur, eæq; ad exiguum numerum revocentur. Vide  
Bodinum lib. 6. cap. 6. p. 1183. Schönborn. lib. 3. cap. 4. §. 3. &  
cap. 7. Senecam Epist. 95. Liebenthal Exercit. XII. th. 34.  
Plerumq; enim vulgus è verborum numero rerum lege  
cautarum multitudinem metitur, facilius quoq; subdito-  
rum animis inhærent legum præcepta verbis paucissimis,  
quam longis verborum ambagibus explicata. Corruptæ  
etiam Reipublicæ indicium est legum multitudo. Illis e-  
nim hominum improbitas coërcetur, quam tūm crevisse  
oportet, cūm crescunt leges. Unde Tacitus lib. 4. Annal.  
corruptissimam vocat Rem publicam, in qua plurimæ le-  
ges. Exempla insuper celeberrimarum Rerum publicarum  
sententiam nostram probant. Paucæ fuerunt Lycurgi,  
Paucæ Solonis leges, paucæ duodecim tabularum, nec mul-  
tæ etiam Zaleuci, quas Thuriis dedit: cuius legibus cum  
ij, qui exceperunt ejus ætatem, alias per subtilitatem & ni-  
miam curam adderent, factum hinc, ut celebres magis  
quam boni redderentur. Lips. in lib. monit. Polit. cap. 10.

32. Vide.

32. Videtur quidem legum multitudinem non parum facere ad coercenda vitia. Plura enim ijs prohibentur quam ubi admodum exiguo numero terminantur. Sed nec illud quidem verum esse patiuntur tot Rerum publicarum exempla, ubi quo majorem legum, eò minorem virtutum copiam fuisse experientia testatur. Præterea ubi damnamus multitudinem legum, non illud volumus, ita in eam curam summâ ope enitendum esse, quo paucissimæ sint leges, ut ea quæ necessariò iis includenda fuissent neglectui habeantur, qualia hercule sunt ea, quæ vitiis prohibendis inserviunt; Sed hæc duntaxat mens nostra est, eam oportere esse legum latoribus curam, ne præceptis necessarijs addantur istiusmodi leges, quæ vel nihil necessitatis, vel parum utilitatis habent. Hujusmodi leges sunt quæ de ijs constituantur, quæ, ut Pomponius inquit, non ὅπι τὸ πλεῖστον sed ἐπὶ παραλόγῳ fiunt. In harum censum juxta Platonem referendæ sunt plurimæ leges, quæ vulgo ferruntur de Jurisdictione, Vectigalibus, tributis, re nautica. Quibus ut maximè carere Respublica non possit, ex usu tamen est Reipublicæ esse eas quam paucissimas.

33. Illud quoq; plerumq; legum multitudinem comitatur, ut secum trahat inauspicatissima litium semina. Exemplo esse potest Gallia, quam omnes Europæ populos litium abundantia jam pridem superasse cum res ipsa loquitur tum ipso etiam Galli testantur. Vide inter eos Bod. pag. 1183. Incrementum vero litium fuit à legum multitudine, quam primus quidem Carolus septimus, de hinc etiam reliqui Reges invexerunt. Bod. dicto loco. Plura enim sunt, quæ in dubium vocari possint legibus mole & multitudine suâ laborantibus, quam ijsdem & paucis existentibus, & nervosa brevitate conscriptis. Lubet hic ascribe re ejusdem Bodini verba lib. 6. cap. 6. de Republ. p. 1184. Qui

legum multitudinem invexere, cum litibus modum imponere se posse arbitrarentur, Herculē in Hydræ capitibus amputandis imitati videntur, nam una lita resecta, septem renatas videmus, ex illa verborum ac rationum sine ratione farragine, quæ legibus suadendis admiscetur. Et paulò superius : Nullum caput esse legis, nullum verbum, nullam syllabam, nullam literam, ex qua argumenta, aut vera, aut verò similia ad litium propagationem exprimi non possint. Hactenus ille.

34. Et hæc habere debent bonæ leges, antequam in publicum prodeant, tūm promulgatione opus est. Hæc enim ubi non præcessit, statuta hujusmodi legum vigorem obtinere nequeunt. Promulgari verò dicitur lex, ubi ea in publico ponitur, & omnium oculis submittitur. Promulgatione verò facta in Monarchia quidem vel Aristocratia, ad obedientiam confessim astringuntur subditi, nisi fortasse certo demum tempore à promulgationis die autoritatem legi accedere velit magistratus. Quod in non-nullis imperijs usu frequens esse solet, ut ne à violatæ legis criminе liberet aliquos ignorantia. Nec abs re quidem hoc esse videtur, si multitudo subditorum vel aliqua difficultas obstet, quò minus ad omnes exiguo temporis intervallo legis latæ fama pervenire possit.

35. In Democratia promulgationem fieri receptum est, antequam leges ferantur. Leges verò priusquam latæ sint, neminem obligant. Non ergò eo existente Reipublicæ statu à promulgationis tempore existimandum est, eas valuere, sed tūm demùm robur assuinunt, ubi ad populum rogantur, & communi calculo probantur. Ea verò potissimum causa esse videtur, quare Reipublicæ statu ad Democratiam inclinante, promulgari primùm, dehinc ferri leges necesse sit, quòd ad populum ibi legis condenda potestas pertineat. Is verò quam de lege decernat, priùs eam

eam cognoscere debet; quod fieri duntaxat potest promulgationis beneficio. Inde spatum promulgationis apud Romanos erat trinundinum, hoc est per tres nundinas. Cùm enim nundinarum causa ex agris in urbem cives convenirent, per trinundinum leges, ut à rustica plebe ter legi cognosciq; possent patere voluerunt. *Paul. Manut. Antiquit. Romanarum libro de legibus p. 316.* qui in eandem nobiscū sentētiā de promulgatione illa, quæ apud Romanos ante latas leges in usu erat ita: *Id autem eò fiebat, ut inspiceret, qui vellet, inspectam legem consideraret: non solum ut intercedi posset antequam ferretur, verum etiam ut aliquando ante statuere cuivis liceret, utrum cùm ferretur antiquanda suffragis, an accipienda lex esset. Addo etiam illud, ut quis mone re legislatorem posset vel de corrigenda vel de non ferenda lege.*

### 36. Quemadmodum tamen,

*Non minor est virtus quam querere parta tueri;*  
Sic etiam danda est Principi opera, ut non ferat modò & promulget optimas leges, sed carum etiam conservandarum rationem ineat. Legum enim autoritas in conservandis potius illis, quam in condendis & constituendis cōsistit, ut verè *Phædon ille ad Thebanos.* *Antonius de Guevara Horol. prin. p. 379.* Fiet verò illud, si legislator non solum exponat, quid lege caustum velit, sed additis præterea pœnis in ipsarum violatores animadvertat. Sola enim pœna formido à legum contemtu malos homines avocat. Et nulla violandæ legis major est occasio, quam si eam is, qui tulit, sua lenitate perrumpat. *Bodin. de Republ. lib. 5. cap. 12. p. 826.* Et hinc esse puto illud Modestini Jcti. *Legis præcipua virtus est, Imperare, vetare & punire.*

### 37. Am

37. An verò aliquis contra leges admiserit, interdū ipse, qui leges condidit, earundemq; ferendarū potestatem habet, cognoscit, idq; si res majoris sit momenti, & non facile inferioris judicis sententiā dirimi possit ; interdum dati ab eo judices. Qui in illud quidem præcipuè mentem versant, num ita peccarit reus, ut id, quod lege prohibitum est, admittere non erubuerit, circumstantiis p!ane ijsdem, quæ ibidem exprimuntur. Et ita quidem adjecta pœna legis violatorem exspectat. Sin verò circumstantiæ diversum aliquid fortè suaferint, ad vicinam legibus æquitatem divertere tutius magisq; consultum est.

38. In judicis tamen arbitrio non est, (modo ne idem sit summus magistratus) ut contra legum præcepta aliquid decernat, licet ipse à justitiæ norma alienam putet legem. *Vid. Excellent. Dn. Præsidem lib. 2. sect. 2. cap. 5. p. 733.* Ethujusquidem ratio in promtu esse videtur. Melius enim plures, eosq; doctrina insignes, (quales esse debent quorum consiliis in legibus ferendis utuntur Principes) quam unum aliquem, quantumvis ingenio & doctrinâ clarum, quid justum injustumve sit animadvertere posse, haud immerito visum fuit. Contra qui admifisset, etiam si æquitatis speciem objecisset, infamiâ plectebatur. *Vide Bod. p. 243.* Præterea, hoc si judicibus inferioribus permisum esset, leges nullius essent ponderis, contra quas agere & judicare permisum foret.

39. Et ita hactenus fuit legum autoritas, quæ tunc exspirat, ubi vel obsolescunt, hoc est contrariis populi moribus tolluntur. Liebenthal Exercit. XII. th. 35. Quod factum fuit plerisq; XII. tabularum legibus, vel abrogantur, hoc est, latis aliis legibus tolluntur. *Videatur Liebenthal d. l. Schönbornerus lib. 3. Polit. Cap. IX.* Ita enim desinunt esse leges, & usu observari. Interdum tamen tota lex

ta lex non tollitur, sed pars ejus autoritatem solummodo amittit, quod derogari interduim primæ aliquid adjicitur, quod subrogari, nonnunquam ex prima aliquid mutatur, quod abrogari vocant. *Vide Ulpiani frag. ex recensione J. Pacij tit. 1. §. 2. & Liebenthael loco superiore.* Jus abrogandi leges penes eos est, penes quos ferendi. Absoluta enim ferundarum legum potestate qui gaudet, hujusmodi etiam leges in publicum producere potest, quæ à prioribus prorsus dissentiant. Cùm verò obedire utrisq; cum summa impossibilitate sit coniunctum; sequitur indè abrogari hac ratione priores, & potestatem hanc penes eum residere, qui posteriores tulerunt.

40. Illud hic apud Politicæ rei scriptores dubitatione non caret, an omnino abrogandæ sint leges, an verò minus? Sunt qui affirmativæ calculum adjiciant. Nec desunt qui negativæ patrocinium suscipiant. *Cleon. ille apud Thucididem.*: Melius habere eam civitatem asseruit, quæ constanter malis legibus quam quæ bonis uteretur, sed ita, ut earum vicem exciperent subinde novæ. Cùm enim legem justam esse oporteat, injustum hercùs videtur, eam tollere. Discrimine præterea non vacat hæc res, & sæpè hanc mutationem seditionibus ortum dedisse satis manifestum est. Pertinere huc videtur Lycurgi factum, qui cùm Delphos profectus esset, & jure jurando obligasset civitatem, fore ut leges ejus nulla parte mutarent, antequam reverteretur, perpetuum exilium egit. *Justinus lib. tertio.* Atq; ita legibus suis æternitatem dedit, cùm videret quanta malorum seges ab earum mutatione pronasceretur. Solon quoq; Atheniensis haud dissimili consilio Atheniensem populum jure jurando adegit, ut leges à se latas stabiles esse paterentur annos centum. *Plutarch. in Solone, Justinus lib. secundo.* Existimabat quippe haud facilè tunc mutatu-

D

ros

ros Athenienses leges, quibus assuevissent, cùm id cognitū haberent, quām firmo talo eorum Respublica innixa fuisset, ubi harum legum curam habuisset. Vid. arg. nonnulla alia apud Reinking. lib. 2. Class. 2. cap. 5. n. 14. 15. 16. 17. 18. 19.

41. Cùm autem fieri non possit, ut eædem leges Reipublicæ diversis temporibus convenient, & salus civitatis scopus ille sit, ad quem collimare leges æquum est, abrogandæ eæ nonnunquam sunt. Quemadmodum enim alia nascentis Reipublicæ, alia jam optimæ constitutæ, alia in ruinam vergentis facies est, ita etiam alias postulant leges. Crescentis Reipublicæ mitiores, quò plures alliciantur; Constitutæ verò & robur suum jam assumentis severiores esse oportet. Non negligendum hoc rebantur Romani. Eorum autor Romulus, sub initium imperij, lumen, qui in proximo urbis erat, Asylum faciebat, & improbis hominibus perpetrati criminis veniam dabant. Vide Florum rerum Rom. cap. 1. Deinceps Numa Pompilius sceleribus impunitatis spem adimebat, & eò ferocem populum redigebat, ut quod vi & injuria occupaverat imperium, religione atq; justitia gubernaret. Successere deinde severæ 12. Tabularum leges, & hâc ratione omnia ferè vitium temporis sublata fuere.

42. Nullius ponderis est, quod contra in medium profertur, justam esse oportere legem, injustum ergò esse eam abrogari. Fieri enim potuit, ut Lex eo tempore, quo lata est, justissima esset, dehinc ab iniquitate non sit immunita. Reinking lib. 11. Classe 11. cap. 5. 11. 16. Nec in eo quidem aliquid periculi est, quod raro feliciter cedat ejusmodi mutatio, sed plerumq; seditionibus materiam ministret. Modò enim ita comparatæ sunt veteres leges, ut Reipublicæ commodum impeditur eant, novæ verò ut è civitatis salute sint, nihil quidem hujusmodi metuendum est. Nisi for-

fortasse summæ rerum præfecti impetu rem agant. Quemadmodum Agis ille Lacedæmoniorum Rex, qui cum receptam sua ætate consuetudinem, quæ legis vim jam pridem assumisse videbatur, abolere, & veterem Lycurgi disciplinam restituere vellet, cum primum quidem omnes civium tabulas & cautiones uno incendio comburi juberet, & deinceps etiam modum tenere nesciret, non solùm frustrè fuit, sed vitam etiam amisit. Improbi enim cives illum in carcere suffocari jussérunt. *Plut. in Age.*

43. Non tamen facilè nisi urgente extrema necessitate prisca leges abrogandæ sunt. Assuevit enim iis parere populus, qui antequam non ita pridem latis obedientiam præstare discat, pœnis adigendus est. Veneranda insuper apud omnes est antiquitatis memoria, & plus prudentiæ, plus integritatis, antiqui legislatores, plus utilitatis latæ ab iis leges habere videntur. Hinc Locrenses eum, qui novæ legis ferendæ autor esset, collo in funem immisso expонere jubebant, quod è reipublicæ salute esse putaret, si non fuisset lex ad populi palatum, temeritatis pñnam laqueo luebat. *Vide Liebenthæl Exercit. XII. Quest. 2. Schönborn. lib. III. cap. 9.* Satius ergò est pati primum sensim exolescere leges, dein easdem secutâ abrogatione tollere. Ita Romanos cum legibus duodecim tabularum egisse constat. Cum enim diuturna jam oblivione sepultæ essent plurimæ earum leges, Æbutia rogatione leges 12. tabularum inusitatæ, quæ sua vetustate jam contabuerant, abrogatæ sunt. *Bod. lib. 4. de Republ. cap. 3. p. 667. Agellius lib. XVI. cap. X. Paulus Manutius libro de Legibus Romanorum p. 202.*

44. In earum verò legum, quæ abrogantur, numerum venire non possunt, vel quæ à Deo originem ducunt, vel quæ Fundamentales sive Imperij leges vocantur, vel quæ naturali ratione nituntur. Sed ea duntaxat, quæ so-

Iummòdò civitatis alicujus statum concernunt. Divinis enim & Naturæ legibus subjecti etiam sunt, qui primas in gubernanda Republica tenent. Eam verò legem, cui subjectus aliquis est, idem abrogare nequit. Fundamentalibus verò sive Imperij legibus Reipublicæ salus innititur; fulcra ergò hæc convellere, quid aliud est nisi turbare publicam salutem. Mutari ergò non debent, nec possunt salva fide & illæsâ Jurisjurandi religione, qua sanctius Viris Principibus nihil esse debet.

45. Pergimus hinc ad æquitatem. Quemadmodum ergò ijsdem circumstantiis, in lege expressis, manentibus, legis scriptæ normam sequimur; sic æquitatis præcipue cura esse debet magistratui, ubi circumstantiæ diversum suadent. Neq; enim etiam in Prudentissimum Legislatorem ea ingenij vis cadere potest, ut ejusmodi leges ferat, quæ ob universalitatem non alicubi deficiant. Hinc æquitatem postulat ipsa justitia. Est verò hæc diversa pro circumstantiarum varietate. Vel enim Personæ contra leges admittentis dignitas, & in Rempublicam merita, vel tempus, vel alia etiam ejus rationem habendam esse monent. Si enim contra eandem legem maximæ dignitatis & plebeiæ sortis homo admitterent, eademq; utriq; perpetuò decreta esset pœna, plus certè ignominiaæ & inde plus doloris ad illum, quam ad plebeium perveniret. Quo nihil fermè inquis us esse potest. Ne verò iniquitas locum in lege habere possit, æquitatem adhiberi, & ea ratione sensus non verborum legis rationem haberí placuit.

46. Temporis insuper & causæ habenda est ratio, propter quam lata est lex. Ea enim ubi cessat, æquitati potiores dandæ sunt partes. Fieri enim potest, ut civitate obfidione cincta lex sit proditionis metu, ne quis vallum cōscendat nisi sorte ductus ad custodiam ejus loci; secus qui fecerit, capitali pœna plectatur. Dehinc ubi remiserit bel-

li tem-

Li tempestas, aliquis admissi contra legem criminis reus a-  
gatur, non subitò capitis pænâ in ipsum animadvertisendum  
esse videtur. Neq; enim pacatis undiq; rebus aliquid à  
proditione metuendum fuit periculi. Nec legis alia est  
sententia. Sed vel incuriâ legislatoris, vel quod putaret sa-  
tis manifestum esse, eò non pertinere legis verba, omissa  
fuit hæc legis ipsius explicatio.

47. Plurimæ etiam aliæ occurunt circumstantiæ, qui-  
bus accedentibus legis ipsius verba observare velle, esset  
contra earum mentem agere. Ut si alicubi lege cautum es-  
set, ne testamentum jure subsisteret, nisi septem testium  
auctoritate & sigillis munitum ; contingat autem tres  
salm̄ vel quatūor adhibitos esse ; idque tempore  
pestis, urgente gravissimo necessitatis telo : Legis verbis  
hic insistere, & superstitiona relligione ab ijs discedere nol-  
le, maxima cum iniuitate esset conjunctum. Nec enim  
ipse legislator si adesset, aliud assereret, quam legem in eam  
sententiam nullo modo esse trahendam. Ita cautum est o-  
mnium ferè gentium legibus, depositum ut reddatur. Si  
verò usu veniat, ut furiosus velebrius depositum apud ali-  
um gladium nixus autoritate hujus legis repeatat, nemo  
hercle, qui sani sit cerebri, affirmare audebit, eò etiam per-  
tinere legis hujus verba, cùm fieri facillimè posset, ut eò  
abuteretur ad suam vel aliorum pernitiem.

48. Æquitatis verò cura ad omnes pertinet, qui jus di-  
cunt, sive sint maiores, sive inferiores magistratus. Nec  
est, quod aliquis objiciat, inferiores magistratus infamia  
plecti, si à lege discedant. Discedere verò à lege, qui nor-  
mam legis & verba non sequuntur. Quod faciunt illi, qui  
æquitatis rationem habent. Non enim à lege discedunt,  
qui verba ipsius relinquunt, sed qui contra legis mentem  
pronunciant. Hinc infamiae pæna illis decreta est, qui cum

sententiam ipsarum legum perspectam haberent, nihilo minus tamen ab ea discesserint. Qui verò æquitatem sequantur, legum sententiam non infringunt, sed potius cōfirmant. Illud solummodo agunt, ut quod lege prætermissum vel non satis aperte cautum est, addant. Nec ita tamen interpretatio legis ad ipsos pertinet, quæ sijs adempta est thes. 19. Ubi enim adeò ambigua sunt legis verba, ut in plures sensus non sine ratione trahi possint, Principis interpretationem lex desiderat. Æquitas verò tum demum locum habet, si ita comparata sit, ut de ejus sententia facile homini non prorsus hebeti constare possit.

49. Restat consuetudo, quam inter leges non scriptas plurimi referunt. Nos eam plerumq; legem præcedere asserimus, idem cum lege esse negamus. Probationem hujus nostræ assertionis ex ipsa Definitione petimus. Lex est jussum supremi Magistratus. Consuetudo verò jussum non est. Nullibi enim requiritur, ut consuetudo jubeatur à Magistratu; satis est si ipso non dissentiente introducta esse probetur. Ergò nec legis nomen meretur. Quin potius ubi jubetur illud, quod antea consuetudine fuit receptum, desinit esse consuetudo, & legis nomen assumit.

50. Hac ipsa tamen tolli lex potest. Quanquam enim populi mores sua jam vetustate nitentes consuetudinis nomen ferant, & ita abrogandæ legis potestas, quæ in Monarchia quidem Principi, in Aristocracia Proceribus debetur, transferri ad populum videatur: nihil tamen hinc decedit Majestati ejus, qui summæ rerum præest. Ipso enim non dissentiente, non contradicente, sed consensu suo accedente, cōsuetudo vires obtinet. Et hac ratione nec ipso invito quidē leges ita autoritatē amittunt, sed probante etiā. Neq; enim ex Majestate semper Imperantis est, subito impetu leges tollere, quas perspexerit non esse ex Reipublicæ utilitate.

tate. Minuit enim hoc ipsum apud vulgum prudentiæ famam, & magni etiam viri ita sæpiissime autoritatis jacturam fecerunt. Hinc ergò occultè gerenda hæc res, & consuetudine hujusmodi antiquandæ leges.

51. Danda tamen sedulò opera, ne facile novæ consuetudines inferantur in eam Rempùblicam, quæ optimis legibus diutissimè salva exstítit. Tunc enim plerumq; nocent, & ad evertendam ipsarum legum autoritatem comparatæ sunt. Unde apud Persas capitale fuit, invehere peregrinas consuetudines. *Antonius de Guevara Horol. Princip. lib. III. cap. II. p. 448.* Et *Plinius quadam ad Scaurum Epistola.* Et tantum quidem etiam de Consuetudine. Essent quidem plurima adhuc vel obiter saltem tangenda, sed pedem hic figimus; neq; enim nostri nunc instituti est fusiùs hæc evolvere, & Disputatiunculae modum excedere. TANTUM!

---

*Ad Politissimum,*

Dn. RESPOND. harum non malè scriptarum thesium autorem.

*ET facies, studiumq; tuum, moresq; modesti  
Non paucos possunt conciliare tibi.  
Hoc ubi pergis iter Jovæq; favore superstes,  
Expectet magnum patriarchara virum.*

PRÆSES.

---

*Ad Juvenem Præstantissimum,*

Dn. Ericum Mauriti J. U. Studiosum solertissimum, Inquiline & commensalem suum publicè de Legibus disputantem.

*Prostat in emporio Sapientia plurima nostro,  
Exponit merces docta Minerva suas.  
Eusebie præcepta Dei panditq; docetq;  
Gaudeat ut pura mente fideq; coli.*

Astræ

Astræa immensi perplexa volumina Juris  
Explicat, & justâ corrigit arte forum.  
Morborum causas Meditrina ostendit & usum  
Herbarum, sanans quæve sit herba nocens.  
Philosophis rerum varias exponere causas  
Et quæcumq; latent abdita, cura vigil,  
Quatuor ut primum genitalia corpora gignant,  
Terrarum quicquid maximus orbis habet;  
utq; sui radios Deus in re sparsérit omni,  
Quam natura suo contegit alma sinu.  
Hoc in mercatu linguae facundia, Virtus,  
Doct&ementis opes, Fama parvula venit,  
Ne simus moles & pondus inutile terræ,  
Queis tanquam indignis laurea nulla datur.  
Ergo quorum thyrso percussit pectora laudis  
Spes acri, ponant tempus in arte suum,  
Solerti dextræ versantes texta librorum  
Undiq; quos prodit doct&acaterv a Sophum.  
Id dum Mauriti facis, & commercia grata  
Jungis cum Musis, grator amande tibi.  
Perge ita, nam facilis tibi nil natura negavit;  
Sed tribuit largas more parentis opes.  
Fervidus est animi vigor, & quæ linquit inausum  
Divitis ingenij vis operosa nihil.  
Immo Creatorem proprius rerumq; parentem  
Cernere, non dubij pectoris ardor adest.  
Exopto quas artis opes tibi sancta dederunt  
Numina, quas merces colligis atq; paras,  
In patriæ decus inq; tui laudem undiq; cedant,  
Ut sis mercator sedulus atq; bonus.  
Bonis omnis & testandæ benevolentia ergo scribebat  
Johannes Daberlandt / Brunovicensis  
Sch. Witteberg. R.



D5 A 2286



1817 Ad.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-568520-p0036-2

DFG

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



IN NOMINE JESU  
DISPUTATIO POLITICA.

DE

LEGE,

*Quam,*  
Sub PRÆSIDIO

VIRI

*Plur. Reverendi, Excellentissimi, ut & Clarissimi,*

DN. MICHAELIS WENDELRI, SS. Theol. Licent. & Philosophiæ Practicæ Professoris Publici celeberrimi, Præceptoris ac Patroni omni observantia cultu ætatem colendi,

*publico examini submitter*

ERICUS MAURITII,

Itzehoâ Holsatus

A. & R.

*ad d. XXX. Martij horis matut.*

In Auditorio majori.

• [+] •

WITTEBERGÆ,  
TYPIS JOHANNIS HAKEN, M DC L.

22